SELECTÆ
EX THEOLOGIA
CRITICO-DOGMATICÆ
CONCLUSIONES

Quas sub feliciſſimis Auſpiciis
REVERENDI ADMODUM PATRIS

FR. JOSEPHI MARIÆ A GALLIPOLI

Lectoris Emeriti, olim Miniſtri Provincialis, necnon Definitoris Generalis, nunc vero Procuratoris Generalis Strictioris Obſervantiæ S. P. N. Franciſci,


PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPONIT

P. FR. JOANNES LAURENTIUS A ROMA

Romanæ Provinciæ Reformatæ Alumnus ac Theologicæ Facultatis auditor.

In Templo S. Franciſci ad Ripas Tiberis ſub aſſiſtentia R. P. Fr. Antonii Franciſci a Roma, ibidem Sacræ Theologiæ Lectoris.

Anno 1750. Menſe Die Hora





ROMÆ M.DCC.L.
Typis S. Michaelis ad Ripam, per Octavium Puccinelli.
Superiorum Permiſſu.



De Existentia, & Essentia Dei.

I.



Dmittendum esse in rerum natura, ac de facto existere Ens perfectissimum, Deum Opt. Max., Cæli, Terræque supremum conditorem, & Dominum, nedum ex apertissimis eruitur Scripturarum testimoniis, caussarum secundarum contingentiâ, rerum aspectabilium mirandâ compagine, omniumque Sapientum unanimi consensu, contra insipientes Atheos invictissimè demonstratur; sed præterea, ex intimo conscientiæ sensu, atque omnium mentibus ingenitâ ideâ, veritas isthæc omnibus ratione utentibus, utut efferatis, & barbaris, suapte naturâ se prodit, atque innotescit.

II.

Ea propter, splendida hæc propositio = *Deus est* = quâ Divina existentia exprimitur, non solùm quoad se, verùm etiam quoad nos ipsos considerata, per se nota est, ac manifesta. Quo fit, ut Dei existentiam, ignorantiâ, ut ajunt, *invincibili*, nullus ignorare queat. Cùm autem quæ Dei sunt, nemo cognoverit,

nisi Spiritus Dei, nulla creatura consequi valet Divinæ Essentiæ numeris omnibus absolutam, claram, perfectamque ideam. Ut tamen, pro modulo nostro, primum aliquod assignemus prædicatum, ex quo, tanquam ex primigenia radice, reliqua Divina Adtributa emanant, Divinæ Essentiæ primum constitutivum, omnimodam independentiam esse arbitramur.

III.

Unicus est Deus. Quæ sanè veritas, ex Sacris Litteris, innumeris a Deo patratis miraculis, invictisque a ratione depromptis argumentis demonstrata, usque adeo cordatorum Hominum mentem persuasit, ut perpetuâ traditione, ab Adam ad nostra usque hæc tempora defluxerit. Hanc autem traditionem frustra interrumpere conati sunt, qui ante Christi tempora vixerunt Gentiles Idololatræ, quique, post Christi adventum, in Catholicæ Fidei Cultores debaccati sunt Ecclesiæ persequutores infensissimi, aut qui Valentinianorum, Marcionitarum, ac Manichęorum deliramentis obcœcati, minimè veriti sunt, insanam Politheistarum Sectam, post Evangelii prædicationem instaurare. Illud etiam pro certo adfirmamus, neque Enos, neque Moysen, Politheismi fuisse authores, cùm ejusmodi commentum, longe ante Moysen, a Chami Posteris originem traxerit.

IV.

Quemadmodum alterius Dei consortium excludit Unitas, ita quæ Deo competit omnimoda simplicitas, quamcumque ab ipso removet compositionem ex actu & potentia coalescentem, maximè verò eam spissam, & crassam, quam commenti sunt Antropomorphitæ, Deo humani corporis figuram, & membra tribuentes, quorum errorem jam obsoletum, postremis hisce temporibus recoxit Spinosa. Deum etenim purum esse, ac simpli-

pliciſſimum Spiritum, ſemper docuit Patrum traditio, a qua nec latum unguem deflexerunt Epiphanius, & Audius, imo nec Tertullianus, aut Melito Sardenſis.

V.

Cùm, perfectiſſimâ Immenſitate præditus ſit Deus, rebus omnibus, non tantùm cognitione, & virtute, ſed etiam eſſentiâ intimè præſens efficitur. Ex eo verò, quod infinitâ virtute ſuâ, nova quædam in Univerſo opera moliatur Deus, atque perficiat; ipſum, ratione ſubſtantiæ ſuæ, intrinſecæ mutationi obnoxium ineptè arbitrati ſunt Stoici quidam Philoſophi. Quemadmodum etiam ex eo, quod in Sacris paginis, Deus dicatur mutare ſententiam, impiè inferunt Sociniani, in Deo, ratione decretorum, veram mutationem eſſe adſtruendam.

VI.

Reliquas non moramur Perfectiones, & Adtributa expendere, quæ Divinam Eſſentiam conſequuntur: hôc enim ipsô, quod Deus, Ens ſit undequaque perfectum, nulla eſt excogitabilis perfectio, quæ in Deo, aut formalitèr, aut eminenter, non ſit admittenda: Quâ verò, cum inter ſe, tum a Divina Eſſentia, diſtinctione, ſecernantur abſoluta Dei Adtributa, acerrimis inter ſe ſtudiis congrediuntur Theologi, nodum (ſi Superis placet) in ſcirpo quærentes; cùm, ad catholicum Fidei dogma ſtabiliendum, abundè ſufficiat, omnem, adversùs Gilbertum Porretanum, & Joachimum Abbatem, diſtinctionem verè realem e medio tollere.

De Visione Dei.

I.

ETsi ratione naturali, Visionis Beatificæ possibilitas demonstrari nequeat; hanc tamen possibilem fore, contra Armenos, recentioresque Græcos, luculentissima perhibent Scripturarum testimonia; Quam sanè veritatem minimè in dubium revocarunt Chrysostomus, & Theodoretus. Non eo usque tamen, omnibus facilem, & obviam credimus Divinam Visionem, ut cum Beguardis, & Beguinis adfirmemus, intellectum creatum, secundùm naturæ vires, posse Deum adtingere; Lumine siquidem gloriæ, eoque supernaturali, illustrari oportet humanam mentem, ut Deum intueatur, non per speculum, & in ęnigmate, sed sicuti est, facie ad faciem.

II.

Cùm ad Beatificæ visionis actum eliciendum, ut partialis causa intellectus creatus concurrat; perfectior intellectus æquali gloriæ lumine irradiatus, excellentiorem pariter Dei visionem consequitur. Absit tamen, ut oculô corporeô, ne quidem supernaturaliter elevatô, sive ante, sive post universalem carnis resurrectionem, Deum intuitivè videri posse arbitremur; cui sententiæ minimè refragatus est Augustinus, utut dubius, ancepsque nonnullis appareat. Ex eo autem, quod Beatifica visio, tanquam bonorum operum merces sit reposita, Deum in hac vita nemo vidit unquam, nec Paulus ad Cœlum raptus, nec Moyses, quem fato cessisse credimus, nec Henoch, aut Elias, quos etiamnum superstites defendimus.

III.

Justorum meritis cœlestis gloria respondet, adeoque pro

pro meritorum ratione, inæqualis pariter Animabus retribuitur beatifica visio, secus ac Stoicorum morbô infectus tradiderit Hæreticus Jovinianus. Quô semel stabilitô catholicô dogmate, alterum illud exploditur ridiculum Anomæorum commentum, quod nimirum, a Beatis in Cœlo regnantibus Divina Essentia omni ex parte comprehendatur: Quippe, etsi Sanctorum animæ Divinam Essentiam, Personas, & Adtributa, imo & Creaturas aliquas, tum præsentes, tum etiam possibiles intueantur in Verbo; pleraque tamen sunt, quæ eorum cognitioni subtrahuntur.

IV.

In utroque, tum intellectûs, tum voluntatis actu, amore videlicet, ac cognitione, essentiam reponimus Beatificæ Visionis, quâ inebriantur Justorum Animæ, dummodo iis, pro admissis sceleribus, nihil expiandum supersit, statim ac corporeis vinculis exsolvuntur. Hinc, toto cœlo aberrant qui, vel beatificam visionem post diem Judicii differunt, multoque ampliùs illi, qui fictitium mille annorum Regnum, quô Christus cum Electis in terris sit regnaturus, instaurare contendunt. Firma etenim & inconcussa omni ævô in oppositum stetit Sanctorum Patrum traditio, etiam Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, & Bernardi. Quibus minimè refragatus est Joan. XXII. Romanus Pontifex, qui nihil hôc super negotiô ex Cathedra definiens, hanc, in utramque partem suis temporibus agitatam controversiam, intactam reliquit.

De Scientia, Voluntate, & Providentia Dei.

I.

REperitur in Deo omnis ſcientiæ plenitudo, quâ ſe ipſum, tanquam primarium, & principale objectum comprehendit, & reliquas etiam creaturas omnes, & ſingulas, præſentes quidem, præteritas, & futuras, ſcientiâ Viſionis: Poſſibiles verò, ſcientiâ ſimplicis Intelligentiæ ſcrutatur, quin ipſum lateant rationabilium creaturarum cordis ſecreta, & quæcumque etiam leviſſima peccata. Ultra verò ſcientiam Viſionis, & Simplicis intelligentiæ, tertium alterum non admittimus in Deo ſcientiæ genus, videlicet Scientiam Mediam a Molina noviter excogitatam.

II.

Futura omnia libera, & contigentia, ſive abſoluta ea ſint, ſive ab aliqua conditione pendeant, certô certiùs prænoſcit Deus, quin, vel ejuſdem ſcientia ſit cauſa rerum effectiva, vel minimum humanæ libertati præjudicium inferatur. Ad ejuſmodi autem libera contingentia infallibiliter prævidenda, nec decreto prædeterminanti innititur, nec ſcientiâ mediâ Divina cognitio dirigitur, ſed decreto concomitanti: itaut, ſi liberè futura contingentia, bona ſint, hæc in ſe ipſo intueatur Deus, ut affecta concomitanti decreto libero, & efficaci; Abſoluto, ſi ſint abſolutè futura; Conditionato ex parte objecti, ſi eorum eventus alicui conditioni ſit illigatus.

III.

Quemadmodum perfectiſſimô intellectu præditus eſt Deus,

Deus, ita ipsi optima convenit voluntas, quâ, in sui ipsius ineffabilem bonitatem, tanquam præcipuum, & necessarium objectum tendit; ipsas verò creaturas, quas condidit, vult, & amat Divina bonitas, amore, ut ajunt, effectivô. Porro, etsi simplicissima sit Divina Voluntas in se ipsa considerata; nostrô tamen concipiendi modô, multipharìam dividitur a Patribus,& Scholæ Theologis; scilicet, in voluntatem Signi, & Beneplaciti, Antecedentem, & Consequentem, ut alias divisiones prætereamus, quæ ad laudatas facili admodum negotiô reducuntur.

IV.

Ipsis etiam, ut ait Augustinus, consentientibus omnium sæculorum Ethnicis, Philosophis, atque Gentilibus, in Deo, rerum omnium accuratissima stabilienda est Providentia, quâ Creaturis suis, utut abjectis, & vilibus, consulens, eas ad certos, præstitutosque fines fortitèr, & suaviter dirigat: Quam sanè altissimæ Providentiæ œconomiam, excellentiùs exercet in ordine supernaturali, erga creaturas ratione utentes; dum eas omnes verâ, propriâ, & syncerâ voluntate vult salvas fieri, ipsis elargiendo supernaturalia Divinæ Gratiæ auxilia, quibus possint ad vitam æternam pertingere.

V.

Præcipua, & nobilior Providentiæ pars, est prædestinatio Electorum, & Impiorum reprobatio. Cùm verò duplex sit Prædestinatio, altera ad Gratiam, altera ad Gloriam; primam gratuitam omnino fore, itaut naturæ viribus, nequeat se ad ipsam Homo positivè disponere, & præparare, catholicum est Fidei dogma, contra Semipelagianos ab Ecclesia sancitum. Secus res se habet de prædestinatione ad Gloriam, cujus decretum, certum, & infallibile, vel ante, vel post Hominis prævisa merita, positum fuisse, salvâ Fide, propugnant Scholæ Theolo-

lo-

logi. Quod si de Impiorum reprobatione sermo instituatur, hanc, ante prævisa peccatorum demerita, cum Calvino statuere, sine impudentia, & temeritate non possumus.

VI.

Effectus prædestinationis primarii sunt, Vocatio, Justificatio, & Glorificatio: Mala etiam pœnæ, quinimo & peccatorum permissio, quatenus ad majora bona a Deo ordinari valent, inter prædestinationis effectus recenseri possunt. Cęterum, nullum, sine speciali Dei revelatione, certum esse de sua prædestinatione, catholica Fides docet: Etenim, etsi certus sit, & determinatus numerus Prædestinatorum; hunc ille duntaxat prænovit, qui gratiam & gloriam dat Dominus. Oportet itaque, ut cum metu, & tremore salutem nostram operemur; nam quamvis magnus sit Electorum numerus, exiguus valde est, si comparetur cum numero Reproborum.

VII.

Sunt, qui prædestinatianam hæresim, fictitiam, imaginariam, atque imperitorum Hominum oscitantiâ, in vulgus sparsam fuisse contendant: At ejusmodi commentum, ex Adrumetino Monasterio erupisse defendunt Critici melioris notæ, quibus profectò & nos adsentimur. Quô autem tempore, hocce monstrum caput extulerit, non modicè controvertitur inter Eruditos. Nos verò eorum sententiæ subscribimus, qui, nullam fuisse tradunt in Monasterio Adrumeti prædestinatianam hæresim Augustino superstite, nec sub Cœlestino I. Rom. Pont. in Galliis fuisse disseminatam: Quinimo, & Gothescalcum ab ejusmodi labe immunem fuisse contendimus; Quamvis temeritatis, & impudentiæ, in vera causa defendenda, excusari vix, ac ne vix quidem possit.

De

De ſanctiſſimę Trinitatis myſterio.

I.

AUguſtiſſimum Divinę Trinitatis myſterium, in eo poſitum eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur, neque confundentes Perſonas, neque Subſtantiam ſeparantes: Ideoque, tres admittendæ ſunt Perſonæ, non nomine tantùm, ut effutiebat Sabellius, & poſt ipſum Sociniani, ſed verè, & realiter inter ſe diſtinctæ. Ex quo minimè conſequitur, tres etiam extare Subſtantias, ut perperam commenti ſunt Tritheitæ; ſed unica duntaxat Natura adſtruenda eſt, atque Eſſentia, quæ tribus diſtinctis Perſonis æque communicetur.

II.

Uſque adeo ſublime eſt, ac humano captui impervium Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, ut, nec etiam ſuppoſitâ divinâ revelatione, poſitivè demonſtrari queat: Attamen hujus revelatio, Judæorum Patriarchis, aliiſque Viris ſanctiſſimis, non fuit in veteri Lege denegata: Unde ſubobſcura quædam ſemper viguit hujus dogmatis traditio inter Hebræorum Legis peritos. Abſit tamen, ut Philoſophis Ethnicis, atque Gentilibus, ullam vindicemus apertam Trinitatis certamque notitiam: Quæ enim hôc ſuper negotiô, cimeriis involuta tenebris, ſcriptitarunt, non aliunde, niſi ex Hebræorum commercio hauſta ſupponimus. Ea pariter, quæ circumferuntur Mercurii Triſmegiſti Opera, aliô Authore poſt apoſtolica tempora prodiiſſe arbitramur.

III.

Auguſtiſſimæ Trinitatis veritas, ex nonnullis veteris Te-

ſtamenti locis, adversùs Judæos non obſcurè colligitur. Quæ verò nobis exhibent Scripturæ teſtimonia in novo Teſtamento, peremptoria ſanè ſunt, atque apertiſſimè Trinitatis myſterium, adversùs omnis generis Hæreticos, demonſtrant; ſignanter verò forma Baptiſmatis Matt.28. ℣. 19. = *Baptizantes eos in nomine Patris &c.*, & celeberrimum illud Joan: Ep.1.cap.5. ℣. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo &c.* Quod quidem, germanum eſſe Joannis fætum, non adſcititium, neque dolô, vel oſcitantiâ intruſum, cum ex Patrum traditione, tum ex pluribus optimæ notæ Codicibus invictè conficitur, quicquid in oppoſitum Sociniani obtrudant. Jure proinde ac meritò, contra eoſdem Socinianos, & Remonſtrantes, adnumerant Catholici, inter fundamentales Chriſtianæ Religionis articulos, myſterium Trinitatis; cujus aperta cognitio, & profeſſio, ſit ad æternam ſalutem omnimodè neceſſaria.

IV.

Extitit in aliqua ſubſtantia Chriſtus Dominus priuſquam ex B. Virgine naſceretur: Æternâ ſiquidem generatione exivit a Deo Patre, eamdem ſubſtantiam, eamdemque naturam cum eodem Patre communicando, ut ex innumeris Scripturarum teſtimoniis, & nuſquam interruptâ Patrum traditione, ineluctabiliter oſtenditur. Jure proinde, Ariana, & Semiariana hæreſis fuit ab Eccleſia proſcripta, atque a Nicæna Synodo conſecrata vox illa =*homouſion* = ad exprimendam Divini Verbi cum ingenito Patre Conſubſtantialitatem. Quoniam veró Heterodoxi, ad impugnandam Chriſti Divinitatem, quoſdam priorum ſeculorum Patres, qui ante Ariana tempora floruerunt, conantur in ſuas partes pertrahere; hanc immeritò inuſtam fuiſſe calumniam contendimus Ignatio, Juſtino Martyri, Athenagoræ, Irenæo, Dionyſio Alexandrino, Athanaſio, Magno Baſilio, Tertulliano, qui omnes rectè de Verbi divinitate ſenſerunt.

Ne-

V.

Neque etiam Liberius Romanus Pontifex, Arianæ hære-
ſis eſt arguendus; Siquidem primæ duntaxat (quæ catholicum
ſenſum præſeferebat) non autem ſecundæ, aut tertiæ Sirmien-
ſi formulæ ſubſcripſit. At Oſii Cordubenſis Antiſtitis, viri de
Chriſtiana Religione optimè meriti, infelicem lapſum, univer-
ſus ingemuit terrarum Orbis, utpote cùm ſecundam adpro-
baverit Sirmienſem formulam, impiam prorſus, atque blaſphe-
mam. Num verò in Arianica perfidia extremum clauſerit diem?
negat Athanaſius *Epiſt. ad ſolit.* cujus & nos opinioni adſenti-
mur. Tandem, neque ut hæretici traducendi ſunt Patres in Con-
cilio Ariminenſi congregati, eo quod formulæ ſibi ab Arianis
oblatæ ſubſcripſerint; ut enim ipſi ajebant apud S. Hierony-
mum in Dial. cont. Lucif. =*decepit nos bona de malis exiſtimatio;
non ſumus arbitrati, Sacerdotes Chriſti adversùs Chriſtum pu-
gnare*=

VI.

Spiritus Sanctus, vera eſt, ac per ſe ſubſiſtens Perſona, ex Patre,
Filioque procedens, Patri, & Filio conſubſtantialis, ut Scrip-
turarum teſtimoniis propemodum innumeris, ac Patrum tradi-
tione innixa, contra Macedonianos, Eunomianos, cæteroſque
Pnæumatomachos, definivit ſecunda Conſtantinopolitana Sy-
nodus. Immeritò proinde, de corrupto Symbolo, a Græcis re-
darguuntur Latini, propter additam particulam =*Filioque*= cùm
hæc a Patribus, graviſſimis de cauſis adjecta fuerit, ut nimirum
Græcorum error, qui longè, latèque graſſabatur contra Pro-
ceſſionem Spiritus Sancti a Filio, radicitùs tandem evelleretur.

VII.

Duæ, nec plures, nec pauciores admittendæ ſunt verè, pro-

prièque dictæ, Processiones, adversùs Arianos, & Sabellianos. Quemadmodum etiam, quatuor sunt relationes personales, nempe, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio passiva; Quæ formaliter, & ut relationes originis præcisè consideratæ, nullam perfectionem involvunt. Sunt pariter in Deo, ad constituendas Divinas personas, Proprietates personales, quæ relativæ sunt, non absolutæ. Denique, verô, Catholicôque sensu, ad enuntiandum Divinæ Trinitatis mysterium, usurpantur a Theologis voces = *Personæ*, *Hypostasis*, *&* *Subsistentiæ* =

De Divini Verbi Incarnatione.

I.

DOminicæ Incarnationis altissimum, sacratissimumque mysterium, ita humanæ mentis aciem fugit, ut naturali ratione, positivè nequeat demonstrari: Supposità tamen Divinâ revelatione, & convenientissimum, & possibile fore vindicatur. Quinimo bonis Angelis, Beatisque mentibus, Adamo, cæteris Patriarchis, Prophetis, aliisque Viris sanctitate conspicuis, innotuisse defendimus; Quam tamen notitiam, gravissimis de causis, negavit Deus Dæmonibus, qui circa Christi divinitatem anxii, dubiique fuisse videntur. Plausibilis quoque est eorum sententia, qui Incarnationis mysterium docent, fuisse revelatum nonnullis ex Gentilibus, ex quorum numero minimè excludimus ipsas Sibyllas, quarum famigeratissima de Dominicâ Incarnatione oracula, ut apochrypha, & commentitia omni ex parte haudquaquam sunt explodenda.

II.

Messiam antiquis Patribus promissum jam diu venisse, huncque non alium esse, quàm Jesum Nazarenum, qui ex Maria Vir-

Virgine natus, Cruci suffixus est sub Pontio Pilato, plurima, eaque luculentissima veteris Testamenti oracula convincunt: Inter quæ, decretoria profecto, ac celeberrima illa duo sunt, Jacob scilicet morientis vaticinium *Gen.*49. & Danielis Prophetia *cap.*9. quæ ambo in Christi adventu fuere adamussim completa. Porro in Jacobæo vaticinio, per *Judam*, non sola hujus nominis Tribus, sed tota intelligitur Hebræorum Natio, cum aliquâ tamen singulari Tribûs Judæ prærogativâ; Quemadmodum etiam per *Sceptrum*, non sola Regia, ac Monarchica, sed quælibet suprema Reipublicæ administrandæ Potestas designatur. Ipsæ verò Danielis Annorum (non Dierum, Olympiadum, vel Sæculorum) Hebdomadæ, inchoandæ sunt, non ab Edicto Cyri, annô ipsius Regni I. aut ab Edicto Darii Histaspis; sed ab eo, quod Regni annô 7. vel 20. tulit Artaxerses Longimanus.

III.

Plurima alia, eaque invictissima argumenta, jam peractum Messię adventum commonstrant, Signa videlicet, & circumstantiæ admirabiles, quæ Christi nativitatem aut comitata sunt, vel subsequuta; Miracula item splendidissima ab incarnato Verbo perpetrata; Aggæi oraculum de gloria secundi Templi; necnon ea, quæ de Bethleem scripsit *cap.*5. Michæas Propheta. Quibus omnibus, duo alia accedunt præclarissima testimonia, quæ hanc mirificè veritatem illustrant: Alterum Josephi viri Judæi *lib.*18. *antiq. cap.*4. quod autographum, verèque genuinum esse minimè ambigimus: Alterum Phlegontis Gentilis, Adriani Imperatoris Liberti ex *lib.* 13. *Olympiadum* depromptum, quod certè de tenebris, quæ in Christi obitu contigerunt, intelligendum esse contendimus.

Na-

IV.

Natus est humani generis Reparator, expletô quartô Mundi millenariô, juxta Hebraici Textus genuinum calculum: Ejusque verum Natale, integrum quadriennium vulgarem æram præcessit; ideoque accidit VIII. Kalendas Januarias, ut retentum est constantissimâ Romanæ Ecclesiæ traditione. Fuit autem Christus Dominus a Joanne in Jordane, Baptismatis lavacrô donatus, annô ætatis suæ ineunte trigesimô: Cùmque inter Baptismum, ejusque Passionem, tres anni circiter intercesserint, cruci suffixus fuit annô ætatis suæ ineunte 33. Hinc post mortem descendit ad inferos, ac triduô exactô, verô, integrô, gloriosôque corpore a mortuis resurrexit. Tandem in Cœlum ascendens, sedensque ad dexteram Patris, orat, atque interpellat pro nobis, piissimi Mediatoris officium exercens.

V.

Unica est in Christo persona: Quare B. Virgo, & verè Dei Genitrix est, & Deipara meritò nuncupatur. Hinc jure ab Ephesinis Patribus canonicè damnatus est, atque a sua Sede depulsus Nestorius, qui hocce catholicum Fidei dogma impugnavit: Cujus tamen hęresi, nec Joannes Antiochenus adstipulatus est; nec Cyrillus Alexandrinus in suis Anathematismis (quos Catholicos adfirmamus) Nestorium refellens, in oppositum prolapsus est Apollinaris errorem. At Theodoretus, quamvis in fine resipuerit, Nestorio in principio adhæsit; jure proinde, ac meritò, a V. Synodo tria Capitula fuere proscripta. Ipsâ verò Dominicâ incarnatione peractâ, duæ remanserunt in Christo distinctæ, inconfusæ, ac impermixtæ Naturæ, Divina scilicet, & Humana, ut contra Euthichetem sancitum est in Synodo Calcedonensi. Duplex pariter in Christo fuit voluntas, & operatio, secus ac impiè docuerint Monothelitæ, in Constantinopolitano Concilio dam-

damnati: Quibus nunquam suffragatus est Honorius I. Romanus Pontifex, utut grassantem Monothelitarum hæresim, eâ, quæ Summum decebat Pontificem, animi constantiâ, & fortitudine non represserit.

VI.

Divinum Verbum, veram, & solidam carnem, non umbratilem, aut phantasticam (ut commenti sunt Marcionitæ) ex B. Virgine, mirô prorsus ac stupendô modô, operante Spiritu Sanctô assumpsit, perpetuâ videlicet, & inviolatâ permanente Genitricis Mariæ, sive ante partum, sive in partu, sive post partum, virginitate. Hinc veris doloribus, cæterisque communibus humanæ naturæ infirmitatibus, obnoxium fuit Christi corpus: Hancque veritatem constanter docuerunt Clemens Alexandrinus, & Hilarius Pictaviensis. Veram pariter sibi hypostaticè univit humanam mentem, & Animam, voluntate præditam, & intellectu; quæ nedum a primo conceptionis instanti, perfectissimâ rerum Divinarum, & humanarum scientiâ, cumulatissimis gratiarum donis, eximiis virtutibus, atque beatificâ Dei visione fuit illustrata; sed etiam eâ sanctitate cumulata fuit, ut nullum unquam in Christo fuerit, aut esse absolutè potuerit vel levissimum peccatum; quin tamen, ejus ad meritum, necessaria libertas vel minimè læderetur.

VII.

In Christo, ratione Personæ, & in concreto, admittenda est, adversùs Nestorium, idiomatum communicatio. Absit tamen, ut etiam sub restrictione humanitatis, Christus nuncupetur Dei Filius adscititius, & adoptivus; quamvis ipsum, creaturam appellari non repugnet, ratione assumptæ humanitatis. Hinc ejusmodi enunciatio = *Unus e Trinitate passus est carne* = a Monachis Scythis usurpata, catholica est, & orthodoxa. Christus etiam verè peccata nostra portavit, propriô suô sanguine nos

nos redemit, ac pro nobis omnibus, sui ipsius in Ara Crucis cruentum obtulit sacrificium, quicquid in contrarium Sociniani deblaterent. Quamvis autem omni ex parte, copiosissima fuerit humani generis redemptio; attamen Christi meritum, in rigore infinitum adstruere haudquaquam audemus: Etsi certo certius arbitremur, juxta præsentem dispositionem, nullam rationalem creaturam peccato obstrictam, imo nec creaturam quamlibet, quantumvis gratiâ, meritisque exornatam, Deo potuisse pro admissa culpa condignè satisfacere.

De Sacra Scriptura.

I.

DEsipiunt profectò Novatores quidam, sub Libertinorum nomine, qui, Swenchfeldio duce, ad rectè, in timore, & tremore Domini, vitam traducendam, comminiscuntur, solùm sufficere lumen naturæ. Admittenda est ergo divina revelatio, a Spiritu Sancto in libris cum veteris, tum novi Testamenti, nobis manifestata, quæ infallibilis regula sit, ad cujus normam, catholicæ Fidei articulos, Morumque disciplinam expendamus. Etenim Sacrarum Scripturarum canonici libri omnes, cùm fuerint per Patriarchas, & Prophetas, per Apostolos, & Evangelistas, peculiari Spiritus Sancti afflatu, & inspiratione, conscripti, eos, sive ad sensum, sive ad verba, tanquam a Deo dictatos suscipimus, & veneramur.

II.

Sacrorum Bibliorum, pro temporum varietate, diversæ emanarunt Versiones: Quas inter, principem sibi vindicat locum, Vulgata nostra, sollicitudine Damasi, & hærculeô planè D. Hieronymi labore, ad perfectionis umbilicum deducta; quæ sola canonica est, atque infallibilis authoritatis: Quamvis etiam ad ulteriorem Sacrarum Scripturarum intelligentiam, multùm sub-

ſubſidii conferant, & Græca, & aliæ etiam Verſiones, præcipuè verò originalis, ac primigenius Hebraicus Textus, qui illęſus, & incorruptus, (ſi leviora quædam exceperis menda, Amanuenſium oſcitantiâ, vel punctorum additione intruſa) ad Chriſtum, ad noſtra etiam uſque hæc tempora, providentiſſimô diſponente Numine, permanſit.

III.

Duplex eſt Scripturarum ſenſus, Litteralis videlicet, & Mixtus: At ex ſolo Litterali, inconcuſſè ſtabiliuntur Fidei dogmata: Nam Myſticus probabilem duntaxat authoritatem præſefert, niſi ad hunc roborandum, vel univerſalis Eccleſiæ conſenſus, vel Patrum traditio, vel Romani Pontificis acceſſerit authoritas. Cùm autem ambigua ſit, & obſcura Sacrarum Scripturarum intelligentia, allucinantur Calvinus, & Lutherus, cæterique id furfuris Novatores, qui, ad Religionis controverſias dirimendas, uſque adeo omnibus obvium, & facilem commenti ſunt Scripturarum ſenſum, ut cujuſlibet ſpiritu privatō enodari queat: Siquidem, ad genuinum determinandum Bibliorum ſenſum, vel Summi Pontificis, vel univerſalis Eccleſiæ authoritas debet intercedere.

IV.

Ad ipſam pariter Eccleſiam pertinet, de Sacrorum Codicum authoritate ultimum judicium proferre: Hinc juſtis, graviſſimiſque de cauſis, potuit, Sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam verſiones, & uſum interdicere: Siquidem libros Sacros volvendi neceſſitas, non omnes ex æquo afficit Chriſti Fideles, nimirum Sapientes, & Indoctos, ut perperam contendit Queſnellus; ſed id muneris Doctioribus præcipuè incumbit, necnon Animarum Paſtoribus, & Sacerdotibus, ut Divinarum Scripturarum lumine collustrati, noverint inter lepram, & lepram diſtinguere, & Fidelium Populum ad electa æternę ſalutis paſcua deducere.

V

Ne in delectu divinorum Librorum, errandi subsit periculum, eos duntaxat ut Canonicos, & Sacros suscipimus, quos ut tales declaravit Tridentina Synodus *Sess.4. in Decret.de Can. Script.* Sunt autem isti numerô 72. quorum 45. vetus, alii verò 27. novum Testamentum conflant. Hos inter, 22. hebraicus numerat Canon, Esdrâ authore, conscriptus, qui sanè Libri *Protocanonici* nuncupantur: Reliqui verò, qui in aliis Canonibus recensentur, dicti sunt, *Deuterocanonici*: Utrisque tamen eadem infallibilis vindicanda est fides, & authoritas.

VI.

Inter omnes veteris Testamenti Sacros, Canonicosque libros, primô locô occurrit Pentateuchus, quem, & genuinum, & canonicum esse, & Moyse authore conscriptum, adversùs Ricardum Simonium, & Spinosam, ipsis etiam Hebræis, & Samaritanis consentientibus, mordicùs tuentur Catholici. Libri pariter Job, Tobiæ, Judith, Esther, & germanam complectuntur historiam, & inter Sacros, Canonicosque Codices sunt recensendi. Idem est judicium de aliis omnibus Scripturarum libris, qui Majorum, & Minorum Prophetarum nomine circumferuntur: Item de libris Josue, & Judicum: Ac denique de geminis, primô nimirum, & secundô Machabæorum, quibus omnibus firma semper, & inconcussa remansit in Ecclesia authoritas.

VII.

Ad enervandam Sacrorum Codicum authoritatem, nullum facessit negotium, quod in captivitate Babylonica fuerint Sacræ Scripturæ corruptæ, & dissipatæ: Elegit siquidem Deus, ut huic incommodo occurreret, Esdram Summum Sacerdotem, virum plenum sapientiâ, zelô, & virtute, qui ad veram in Hebraico Populo Religionem stabiliendam, Divinô adsistente Spiritu, plerosque veteris Testamenti libros, solutâ captivitate, collegit, meliorique facie donavit, ipsos a pluribus, quibus scatebant mendis, feliciter expurgando. A

VIII.

A ſeptuaginta Interpretibus, non tantùm verſi ſunt quinque Moyſis libri, ſed univerſa Scriptura hebraicè conſcripta: Hæc porro verſio, quæ omnium prima cenſenda eſt, a 72. Interpretibus ſub Ptolomæo, non quidem Lagide, ſed Philadelpho, non in Cellulis diviſim incluſis, ſed in una Baſilica inſimul congregatis, fuiſſe adornatam, probabiliùs eſt, ut docet D. Hieronymus. Verſionis autem hujuſmodi, quemadmodum etiam Textus hebraici, magna ſemper fuit, & etiamnum eſt in Eccleſia authoritas: Quibus profectò, nil præjudicii adtulere Tridentini Patres definientes, Vulgatam noſtram, certiſſimam eſſe Fidei regulam, nihilque aut bonis moribus adverſum, aut catholicæ Religioni diſſonum continere.

IX.

Nedum Sacroſancta quatuor Evangelia, ſed etiam canonicas omnes Epiſtolas, ſignanter verò illam ab Apoſtolo Paulo ad Hebræos conſcriptam, atque Apocalypſim a Joanne Evangeliſta adornatam, jure, meritoque in Sacrarum Scripturarum cathalogo eſſe reponendas, docent, adversùs Novatores Heterodoxos, Catholici. Reliquos autem omnes libros (de quibus ſuſpecta fuit ſemper authoritas, quippe nec in Hebræorum Synagoga, nec in Eccleſia Chriſti unquam fuerunt recepti) inter apocryphos, ommiſſos, vel ſuppoſititios rejicimus, utpote cùm, nullô canonicô, certôque authore prodierint, vel nunquam in Sacrarum Scripturarum Canonem fuerint relati; vel Impoſtorum malis artibus, & fraudibus, pro legitimis fuerint intruſi.

De Traditionibus.

I.

CUm plurima, non minùs ad Religionis negotium, quàm ad Chriſtianos mores pertinentia, vel in Divinis Scripturis

desiderentur, vel nonnisi subobscurè indicentur, ultra verbum scriptum, admittendum est etiam verbum traditum, seu veræ, & legitimæ Traditiones, quibus genuinus Scripturarum sensus Fidelibus evolvatur, atque ea, quæ scripta non sunt, significentur. Hinc perperam Fidei nostræ Osores, ut Traditionum jugum excutiant, solos Scripturarum libros, sufficientem esse Fidei regulam comminiscuntur: Etenim antiquissimus semper fuit Traditionum usus, quibus moderata fuit Ecclesia in Statu naturæ, in Lege Mosayca, ac etiam post Evangelii promulgationem.

II.

Ad legitimas, verasque Traditiones noscendas, certæ quædam, ac infallibiles a Catholicis subministrantur regulæ, quas inter, præcipua est illa, quâ cautum est, ut nil tanquam Divinâ, & Apostolicâ traditione ratum habeatur, quod communi Ecclesiæ usu, ac sententiâ, receptum non fuerit. Eapropter, nil suffragatur deploratæ Novatorum caussę ridiculum illud effugium, quod ad nauseam usque, Catholicis obtrudit Dalæus; Res nimirum Ecclesiæ, usque adeo temporum varietate fuisse perturbatas, ac susdeque versas, ut Divinas ab humanis traditionibus secernere omnino non valeamus.

III.

Varia sunt Traditionum genera; aliæ siquidem Divinæ sunt, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ, aliæ ad Fidem pertinent, aliæ ad Mores, aliæ perpetuæ sunt, aliæ temporales, aliæ universalem, aliæ particulares quasdam respiciunt Ecclesias: Has itaque omnes, eâ quâ par est reverentiâ, suscipientes, sine scelere, & impietate negligi non posse contendimus, dummodo eô fine, a legitima potestate invectæ fuerint, & adprobatæ, ut a Fidelibus observentur.

IV.

Illud verò discriminis interest, inter Divinas, Apostolicas, at-

atque Ecclesiasticas Traditiones, quod, Divinæ, nullâ penitùs Ecclesiæ authoritate mutari queant: Apostolicæ autem, & Ecclesiasticæ, maximè, quæ ad Morum disciplinam pertinent, variari possunt, prout exigere videntur temporum circumstantiæ, major Dei cultus, Christianique Populi necessitas, & utilitas: Quæ sanè œconomia, ab apostolicis temporibus ad nostrum usque hoc ævum, in Traditionum usu firmissimè semper retenta est, ac observata.

V.

Quandoquidem Verbum Dei, sive scriptô exaratum sit, sive oretenus traditum, Divinę veracitati (fallere, & falli nescię) innititur; non minori veneratione suscipiendæ a Fidelibus sunt Divinæ Scripturæ, quàm legitimæ Traditiones: Hinc ad Fidei articulos stabiliendos, atque ad Ecclesiasticam disciplinam, sanctè, & immaculatè instituendam, tam infallibilem authoritatem exhibent veræ, ac germanæ Traditiones, quàm Sacrarum Scripturarum canonici, & genuini Codices.

De Ecclesia.



I.

REjectis spuriis, ac commentitiis definitionibus, quibus, Ecclesiam Christi sine macula, & absque ruga, describunt cum Veteres, tum Novatores Hęretici; rectissimè a Catholicis definitur = *Cætus hominum, ejusdem Fidei Christianæ professione, & eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Romani Pontificis* = Non ergo constituitur Ecclesia ex solis Hominibus perfectis, nullum peccatum habentibus, ut somniant Pelagiani; aut ex solis Justis, qui circa Fidei dogmata, in aliquod lethale crimen non sunt prolapsi, ut delirant Novatiani; aut ex Probis ab omni graviori culpa innocuis, ut deblaterant Donatistæ; ne-

neque tandem ex solis Prædestinatis; ut mordicùs tuentur Wiclephistæ, Lutherani, & Calvinistæ, aliique nostrorum temporum Pseudoreformati.

II.

Hinc ad Ecclesiam spectant Peccatores, Imperfecti, ac Reprobi, sive publici sint, sive privati, non autem Hæretici, & Schismatici, publici, aut occulti, multoque minùs Infideles, & Pagani, aliique id furfuris perfidiosi Homines; qui cùm in Ecclesiam per Baptismatis januam nunquam fuerint ingressi, non solùm in Ecclesia non sunt, sed neque de Ecclesia dici possunt. Ipsi verò Excommunicati, etsi quadantenus ab Ecclesia præcisi sint, ipsius tamen Ecclesiæ membra suô modô dici possunt. At Cathecumeni, actu, & perfectè, ad Christi Ecclesiam non pertinent.

III.

Certis quibusdam characteribus, & notis, vera Christi Ecclesia a quacumque alia illegitima Congregatione secernitur. Has porro notas nobis innuit Constantinopolitana Synodus dum ait = *Credo unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* = Itaque cúm, ex ipsis Adversariorum principiis, ejusmodi characteres, Ecclesiæ Romanæ competere facilè deducatur; mirum est, quod Hæretici, in hôc Religionis negotiô inter se minimè cohęrentes, ut ab Ecclesia Romana (quam cane pejùs & angue detestantur) recederent, alias substituerint Societates, & Conventicula, ineptis, spuriisque notis designata.

IV.

Visibilis ex natura sua, omniumque oculis conspicua fuit semper Christi Ecclesia: Hinc mentiuntur cum Donatistis Novatores Hæretici, contendentes, ita quandoquidem obscuram fuisse, atque extinctam, ut visibilis ampliùs non fuerit: Ejusmodi autem visibilitas, ita Christi Ecclesiæ propria est, ac singularis, ut, Societati Catholicorum duntaxat unicè conveniat, non verò Protestantium Conventiculis. Perpetua itidem est Ec-

Ecclesia Christi, utpote quæ nunquam defecit, nec ullô ampliùs tempore est defectura.

V.

Cùm dubia quædam identidem inter Catholicos suboriantur circa Fidei articulos, Morumque disciplinam, quæ, solis in subsidium vocatis Scripturarum testimoniis,& traditionibus, difficili admodum negotiô possunt eliquari; Judicem aliquem statuere oportet, qui ab omni errandi periculo tutus, quæ Religionis sunt, aperiat, lites de Fide, & doctrinâ exortas componat, ac discordes uniat Fidelium animos. Hic autem Judex esse non potest, neque Privatus spiritus, nec sæcularis Potestas, sed ipsamet Ecclesia Christi, ex legitimis Pastoribus constituta, ad quam, Fideles Oves, ut veritatis magistram, tenentur recurrere, ejusque finali judicio acquiescere.

VI.

Etenim veræ Ecclesiæ, nedum Passiva, ut nec ipsi diffitentur Novatores,sed Activa pariter,quam Protestantes inficiantur, infallibilitas convenit: Fieri namque haud potest, ut major pars Episcoporum Romano Pontifici adhærentium, irrepentes propriô calculô confirmet errores, in Religionis negotio; Etsi aliter visum fuerit Fidei nostræ Osoribus; perperam ad hanc teterrimam maculam Ecclesiæ inurendam, & acta Concilii Ariminensis, & Episcoporum sententiam, in causa Honorii Romani Pontificis, in medium producentes.

VII.

Hâc omnimodâ infallibilitate, quâ pollet Ecclesia, citra ullum erroris periculum, de Propositionum sensu, de Librorum doctrinâ, eorumque Authoribus, ultimum, ac decretorium potest judicium proferre; cui, ex animi sententia, intimoque consensu, & adprobatione, est acquiescendum: Hinc jure, meritoque, semper detestata est Ecclesia religiosum illud silentium, quô, ipsius validiores sanctiones, atque decreta eludere conantur

Hæ-

Hæretici, eorumque Fautores, incedentes forinſecùs in veſtimentis Ovium, cùm intrinſecùs ſint rapaces Lupi.

De Conciliis.

I.

JUxta vulgatiſſimam Catholicorum ſententiam, rectè definitur Concilium, quod ſit = *Cætus Epiſcoporum, ſeu Sacerdotum, in certum quemdam locum convenientium, ad dirimendas Fidei, Morum, & Diſciplinæ quæſtiones* = Soli itaque Eccleſiaſtici Viri, Summus Romanus Pontifex, Epiſcopi, Cardinales, & Sacerdotes, locum obtinent in Conciliis: Ad quæ, nullo jure vocandi ſunt Laici, quacumque doctrinâ, vel authoritate præditi; ſive etiam Imperatoriâ, vel Regiâ Majeſtate fulgentes, niſi eorum præſentia, neceſſaria, vel utilis foret, ad conſilia præbenda, vel ad eas compeſcendas diſcordias, & lites, quæ in Conciliis quandoquidem ſolent oriri.

II.

Non minùs ſaluberrima, quàm antiquiſſima eſt Conciliorum inſtitutio, utpote quæ jam ab Eccleſiæ primordiis fuit ad uſum revocata. Sunt autem quatuor Conciliorum genera; alia etenim ſunt Generalia, alia Nationalia, alia Provincialia, Diæceſana alia. Ut Concilium Œcumenicum ſit, & Generale, neceſſariò requiritur, quod hujus celebrandi notitia ubique propagetur, nulluſque totius Univerſi Catholicus excludatur Epiſcopus. Verùm, ad Nationalia celebranda Concilia, ſoli cujuſdam certæ Nationis convocantur Epiſcopi: Quemadmodum etiam Concilia Provincialia, celebrantur alicujus Provinciæ Epiſcoporum, & Sacerdotum præſentiâ: Diæceſana verò, ex Epiſcopo, & Sacerdotibus illius Diæceſis.

III.

Jus celebrandi, ac convocandi Generalia Concilia, ad ſo-

ſolos pertinet Romanos Pontifices, non verò ad Imperatores, Reges, & Principes, aliaſque laicas Perſonas, quacumque Majeſtate præfulgeant. Ejuſmodi autem convocatio, ſufficit ut virtualis ſit, vel implicita, in caſu quod non habeatur expreſſa; videlicet, quod Summus Pontifex non contranitatur, aut ejuſdem Concilii acta confirmet. Non ergo, ut Œcumenicum recipimus Piſanum Concilium, ad extinguendum celebre Schiſma inter Gregorium XII., & Benedictum XIII., annô 1409. celebratum; cùm nec ab ullo Romanorum Pontificum congregatum fuerit, nec adprobatum.

IV.

Ipſis etiam Romanis Pontificibus jus competit in Conciliis per ſe, vel per ſuos Legatos præſidendi. Quod ſi quandoquidem abſente Pontifice, ut Eccleſię acta teſtantur, inter Concilii Patres Imperatoribus eminentior aſſignatus eſt locus, hoc ideo effectum eſt, ut, quoad materialem locum, amplior Imperatoriæ Majeſtati honos deferretur, non verò quod unquam in Concilium Imperatores, & Reges, velut Judices, aut Præſides fuerint admiſſi.

V.

In omnibus Conciliis, Divinô jure, ultra Romanos Pontifices, interveniunt nedum ut Conſiliarii, ſed etiam ut veri Judices, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopi. Reliquæ pariter Eccleſiaſticæ Perſonæ, ex privilegio, & pervetuſtâ conſuetudine admittuntur, nimirum Cardinales, Prælati, Ordinum Generales, aliique pietate, & doctrinâ Viri conſpicui, Imperatoris, Regum, & Principum Oratores; quinimo, & ipſis quandoquidem indulgetur Hæreticis, ut coram Concilii Patribus & cauſam dicant, & Fidei rationem reddant, ipſis, etiam ſi opus fuerit, permiſſô Salvoconductu; quem, perperam in cauſa Joannis Hus, & Hieronymi a Praga, fuiſſe a Concilio Conſtantienſi violatum, calumniantur ipſimet Heterodoxi.

VI.

Omnia Ecclesiæ Concilia ineluctabilem obtinent authoritatem, & omnimodâ infallibilitate prædita sunt, dummodo Romani Pontificis legitima adprobatio accedat. Secus si ista deficiat. In hôc enim casu, probabile duntaxat exhibent argumentum: imo etiam nullum, si eorum Statutis, Petri Cathedra adversetur. Est autem absolutè necessarium, quod in Ecclesia, aliqua celebrentur Concilia, urgente potissimùm Schismatis necessitate. At necesse haudquaquam est, quod hæc Concilia, potiùs Generalia esse debeant, aut Nationalia, aut Provincialia, aut Diœcesana, quamvis hæc omnia utilissima sint, ut suaviori modô veritas Fidelibus insinuetur.

De Romano Pontifice.

I.

CUm ad solum Romanum Pontificem, non verò ad Episcopos, & Sacerdotes, ut somniant Lutherus, & Calvinus, multoque minùs ad sæculares Reges, & Principes, ut Schismatis Anglicani Fautores comminiscuntur, Dei Ecclesiam Divinô jure pertineat regere, & moderari, invictè conficitur, quod excellentissimum sit Ecclesiæ regimen, Monarchicum videlicet, & Aristocratiâ nullatenus temperatum; Quod a Christo, soli Petro collatum fuit, ejusque legitimis Successoribus.

II.

Eapropter, Primatus, tum honoris, tum jurisdictionis, ad rectè instituendum Ecclesiæ gubernium, Petro concessus, ita fuit illi proprius, & singularis, ut ab ejusdem participatione, nedum reliqui Apostoli fuerint exclusi, sed ipsemet etiam Paulus: Ideoque, cùm Christus Dominus, Petrum Apostolorum omnium, & Ecclesiæ caput, ac fundamentum consti-

ſtituerit; ipſe ſupra reliquos Apoſtolos ſive ſeorſim ſumptos, ſive ſimul, etiam in Conciliis congregatos, omnimodam juriſdictionem, & authoritatem obtinuit: Quæ profectò excellentiſſima prærogativa, cùm per Petrum in omnes Romanos Pontifices deſcenderit, Epiſcopi omnes, etiam inſimul accepti, omnimodam Petri Succeſſoribus tenentur obedientiam præſtare, ſive in iis, quæ ad Fidem pertinent, ſive in iis, quæ Eccleſiaſticam diſciplinam concernunt.

III.

Inter reliqua privivilegia Petro a Chriſto collata, & per Petrum in ſuos legitimos Succeſſores transfuſa, principem ſibi vindicat locum infallibilitatis prærogativa, itaut Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, & aliquid vel circa Fidem, vel circa Mores, vel circa Sanctorum Canonizationem, toti Eccleſiæ, tanquam ejus univerſalis Doctor proponens errare omnino non poſſit. Itaque Summorum Pontificum ex Cathedra Eccleſiam docentium, firmiſſimæ eſſe debent Sanctiones, atque Decreta omnia: Ad quæ infringenda, prævalere haudquaquam poteſt Generale Concilium. Ideoque non ſine manifeſtâ impietate, a Pontificum Decretis, ad futurum Generale Concilium, interponitur appellatio.

IV.

Quoniam verò, Pontificiæ infallibilitatis Oſores, ex Romanis Pontificibus plures in ſcænam proferunt, quos criminantur in apertas hæreſes fuiſſe prolapſos; nos e converſo, omnes ab injuſtiſſima calumnia vindicamus: Signanter verò Victorium I., Marcellinum, Liberium, Honorium I., Siricium, Innocentium I., Zoſimum, Formoſum, Stephanum, Sergium, Joannem XXII., qui omnes, Fidei depoſitum immaculatè ſervarunt, ac adversùs quaſcumque impiorum hominum perſequutiones, violentias, & fraudes, Eccleſiæ cauſſam, uſque adeo imperterritô animô defenderunt, ut portæ Inferi, nunquam adversùs Petri Cathedram prævaluerint.

D 2 Fi-

V.

Certum, indubitatumque est, quod Romæ Petrus fuerit, ibique Sedem fixerit, atque Episcopatum nunquam dimiserit, nisi eô tempore, quô, jubente Claudiô Nerone, securi percussus, Romanam Ecclesiam in Fidei confessione propriô sanguine collustravit. At non adeo facile est definire, quô præcisè annô Romam Petrus accesserit. Varias tamen inter sententias, quæ hôc super negotiô circumferuntur, ea nobis arridet, quæ ab Eusebio stabilita, a plerisque Criticis, eruditionis famâ longè clarissimis, pleniùs illustrata est; videlicet, secundô Claudii Imperatoris annô, Petrum, Christianam Fidem unà cùm Sede sua, statuisse in principe Orbis universi Civitate.

VI.

An Fide divinâ certum sit, Summum Pontificem in terris Regnantem (quem diu sospitem, & incolumem servet Deus) verè, & canonicè fuisse ad Pontificatus apicem evectum? ambigunt nonnulli. Nos adfirmativam sententiam amplectimur, utpote veritati, ac Religioni magis consentaneam. Quâ semel stabilitâ hypothesi, suapte naturâ corruit putidum sanè Joannæ Papissæ commentum, a perfidiosis Viris, malè cohærentibus laciniis assutum, quod profectò, usque adeo Æsopi fabulam redolet, ut, nedum Catholicis, sed ipsis pariter Hæreticis, jam nauseam, & stomachum moveat.

De Sanctis Ecclesiæ Patribus.

I.

Sanctos Ecclesiæ Patres (illos nimirum, quos doctrinâ, & sanctitate conspicuos, in rebus Fidei, & Morum disciplinâ, tanquam Magistros, & Duces venerata est Antiquitas) alii, plus æquô extollunt; alii, impudenti temeritate contemnunt,

nunt, & deprimunt. Ut ergo in librandâ eorum authoritate, securô tramite incedamus, has præcipuè leges, ex gravissimis Authoribus excerptas, cum Melchiore Cano statuimus. Et primò quidem, in rebus, quæ, neque ad Fidem, neque ad Mores pertinent, sed ad eas facultates, quæ naturali lumine comparantur; tanti ponderis est Patrum authoritas, quanti facienda est ratio, quæ ab ipsis fuerit assignata.

II.

In iis verò, quæ, ad Sacrarum litterarum interpretationem, Fidei dogmata, & Morum disciplinam spectant; si quidam duntaxat (reliquis non reclamantibus, qui controversiam ex professo non pertractaverint) aliquam sententiam doceant; probabile quidem subministrare potest veritatis argumentum, firmum verò non potest. Imo, etsi etiam plures in eamdem opinionem concedant, alii verò licèt numerô pauciores contranitantur; eorum authoritas, justæ authoritatis limites non excedit. Quod si omnes, aut ferè omnes, unô etiam, vel alterô, aut perpaucis exceptis, in aliquo Fidei articulo tradendo, aut Sacrarum Scripturarum textu exponendo, conveniant; certam, inconcussam, atque infallibilem traditionem stabiliunt, cui refragari, sinè impietate non possumus.

De Actibus humanis.

I.

PEr actum humanum, illam Hominis actionem intelligimus, quæ a voluntate deliberatâ procedit. Ut ergo humanus actus moralem bonitatem, vel malitiam involvat; & a ratione dirigi debet, & in ipso Operante libertatem præsupponere. Ita eliciti humani actus, ab Objecto, Circumstantiis, &

& Fine, propriam bonitatem, vel malitiam depromunt, præcipuè verò ex Objecto, ex quo formaliter, & intrinsecè specificantur. Cùm autem in Objecto, Circumstantiis, & Fine, quatenus ab Operante adtinguntur, nulla quandoquidem inveniatur bonitas, vel malitia, nedum in specie, sed etiam in individuo, admittendi sunt actus humani indifferentes, qui videlicet, in genere Moris, nec boni, nec mali sunt, nec laude digni, nec vituperiô.

II.

Perseverat in Homine, etiam in statu naturæ lapsæ, liberum voluntatis arbitrium, quod verè activum est, non autem merè passivum: Quod, ut ad merendum, vel demerendum in Homine viatore sufficiat, solutum esse oportet a quacumque necessitate, & coactione, & præditum esse, contradictionis, ut ajunt, libertate. Quod si metu circumveniatur humana voluntas, minuitur quidem in actione, quæ consequitur voluntarium, sed non penitùs destruitur. Idem dicendum de titillante concupiscentiâ, saltem in ordine ad circumstantias spectatâ. Denique, in actibus imperatis, prementem adeo violentiam pati potest liberum Hominis arbitrium, ut involuntariæ simpliciter reddantur ejus actiones. At in Actibus elicitis, a nemine, neque a Deo ipso, potest humana voluntas, absolutam violentiam experiri.

III.

Qui ex conscientiâ operatur invincibiliter erroneâ, nullam incurrit peccati malitiam; imò conscientiæ invincibiliter erroneæ quisque se conformare tenetur. Hinc ignorantia antecedens, tam juris, quàm facti, actionem reddit simpliciter involuntariam: At perseverante conscientiâ, tum positivè, tum negativè dubiâ, nemini, citra peccatum, licitum
est

est operari. Qui ergo circa actus honestatem dubius hæret & anceps, gravissimis ex utraque parte militantibus rationum momentis, aut partem tenetur eligere tutiorem, vel ab omni penitùs actione cessare.

IV.

Opinioni tenuiter probabili adversùs legem morigerari, iniquum est; Atque illicitum est pariter, opinionem sectari libertati faventem, minusque probabilem, in concursu tutioris insimul & probabilioris. Quod si æquè probabiles sint opiniones, quarum altera Legi faveat, altera libertati; tutior est omnino tenenda. In casu tamen, quod opinio, quæ libertati favet super alteram, quæ stat pro Lege, satis notabilem præseferat probabilitatis excessum, ea erit tutissima Morum regula, quam sine piaculo quisque potest tenere.

V.

Tum ex Sacrarum Scripturarum luculentissimis testimoniis, tum ex Patrum vetustissimâ traditione, adversùs Hæreticos solidissimè demonstratur, admittendum esse Originale peccatum, quod in omnes Adæ Posteros (si immaculatam excipias Christi Matrem, & Virginem) seminali propagatione derivatur. Hujus autem peccati natura, non in morbidâ qualitate, multoque minùs in titillante concupiscentiâ, aut fomite ad malum inclinante consistit, sed in privatione Justitiæ originalis, & Gratiæ sanctificantis debitæ. Hôc peccati genere polluti nascuntur Infantes, qui, si ante susceptam Baptismatis gratiam, ex hâc vitâ decedant, solâ punientur in altero sæculo pœnâ damni, non autem ignis: Hocque verum est, tum ante, tum post universale Judicium.

Ul-

VI.

Ultra peccatum Originale, alia admittenda ſunt peccata Perſonalia, quorum formalis eſſentia, ac malitia, in privatione reponenda eſt conformitatis ad Legem. Hæc inter ſe æqualia minimè ſunt, ſed gravitate, numerô, & ſpecie differunt; hinc alia mortalia ſunt, alia venialia. Specifica peccatorum diſtinctio, ex Objectò, vel diversô modô, quô in idem fertur humana voluntas, præcipuè depromitur; Numerica verò, a multiplicatione actuum, vel objectorum. Mortale autem peccatum, per hoc a veniali diſtinguitur, quod, illud, privatio ſit rectitudinis neceſſariæ ad Deum conſequendum; iſtud verò, privatio rectitudinis duntaxat utilis ad eumdem finem. Dantur etiam peccata puræ omiſſionis. Omnium denique peccatorum, vera, & effectiva cauſa, eſt humana voluntas, advertens actualiter, vel interpretativè, ad id quod facit: Ideoque peccatum philoſophicum rejicimus, ut commentum veræ pietati exitioſiſſimum. Ac tandem, Hæreticorum deteſtamur impudentiſſimam temeritatem, qui, Deum infinitè bonum, peccatorum efficientem cauſam, & authorem aſſerere non reformidant.

VII.

Cùm, Divinis, humaniſque legibus, rectè ordinentur actiones Hominum; inſtituti ratio expoſcit, ut ſelectiora de Legibus theoremata perſequamur. Lex itaque diſtinguitur in æternam Naturalem, Divinam, & Humanam: Lex autem naturalis, cùm concipiatur ut radius quidam Legis æternæ, hominum animis impreſſus, quid agendum ſit, quidve fugiendum præſcribens; ea omnia, quæ naturali Lege præcipiuntur, neque a Deo ipſo verè mutari, aut per rigoroſam epikejam relaxari, vel diſpenſari poſſunt. Ineſt pariter Legis na-

naturalis omnibus ratione utentibus cognitio; unde circa prima, & universalia juris naturæ principia, atque ea, quæ ex hisce principiis immediatè consequuntur, nulla datur ignorantia verè invincibilis, quæ Hominem a peccato excuset.

VIII.

Lex positiva Divina, ea omnia comprehendit, quæ Deus liberè nobis præcipit, vel prohibet; atque in Novam, & Veterem dividitur. Vetus, tria præceptorum genera complectebatur, Moralia scilicet, Cærimonialia, & Judicialia. Porro hujus Legis obligatio cessavit post sufficientem Evangelii promulgationem: Non proinde tamen, statim ac mortua fuit, Lex vetus cæpit esse mortifera: Hinc legalia ab Apostolis quandoquidem observata sunt, ut docet Augustinus, = *non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ* = Ea propter certò certius arbitramur, Paulum restitisse in faciem Cæphæ (quem, alium a Petro perperam quidam existimant) non fictè, ac simulatè, sed verè; eumque ex animo reprehendisse, quia cogebat Gentes judaizare.

IX.

Humanas leges condere possunt Superiores legitimi, tum Ecclesiastici, tum Sæculares: Quæ si sufficienter fuerint promulgatæ, Subditorum conscientiam obligant, etsi a Populis minimè fuerint acceptatæ. Ad legum autem observantiam, etiam Principes absoluti, saltem quoad vim directivam, tenentur: Clerici quoque adstringuntur Principum temporalium Legibus morigerari, dummodo ejusmodi leges, Ecclesiasticæ immunitati non adversentur. Quod si quis in alienam se conferat Provinciam, subditur Territorii legibus, in quo versatur. Obligant pariter quandoquidem humanæ leges cum periculo vitæ, aut gravissimi incommodi, quamvis com-

muniter hanc rigorosam obligationem non inducant. Porro, Leges omnes humanæ cessant per revocationem, aliamque Legem contrariam, quæ statuatur a Principe; per Privilegium; per Consuetudinem; & per legitimam Dispensationem, justis videlicet intervenientibus causis; quæ si deficiant, illicita semper est dispensatio, non tamen invalida, si ab ipso Legislatore concedatur.

De Sacramentis in genere.

I.

SAcramentum, cujus vel ipsum nomen impiè detestantur Hæretici, licèt antiquissimum sit, & pro signo rei Sacræ, præsertim verò invisibilis Gratiæ, pervetustâ Ecclesiæ consuetudine usurpatum, optimè a Catholicis definitur = *Invisibilis gratiæ signum sensibile, divinitùs institutum, & Christi nomine, Sacroque ritu exhibitum, & hominum sanctificationem efficiens* = Cujus equidem definitionis priora verba, Veteris, ac Novæ legis Sacramentis ex æquo conveniunt; posteriora verò, indicant utrorumque discrimen. Hinc explodendæ omnino sunt spuriæ Hæreticorum definitiones, quæ, cùm, Sacramentis vim omnem, & efficaciam adimant, ipsorum pariter Sacramentorum, ad producendam gratiam, naturam labefactant, & destruunt.

II.

An in statu innocentiæ extiterint Sacramenta, necne? solidè non revincitur, nec demonstratur invictè; quamvis cum illo statu, nullam sanè dicerent repugnantiam. At in lege Naturæ, & Mosaycâ, tam pro Parvulis, aliquod gratiæ signaculum, quàm pro Adultis, extitisse quædam Sacramen-

ta

ta censemus. Inter quæ primô locô occurrit Circumcisio, quæ ab Abrahamo omnium primô, Dei jussu ad usum revocata, nedum data fuit in signum distinctivum seminis Abrahæ a reliquis mundi Nationibus, sed ad delendum originale peccatum. In Lege autem Gratiæ, septem sunt Sacramenta, nec plura, nec pauciora, quibus accensenda haudquaquam est, pedum lotio, quæ nec Sacramentum est, nec ad baptismatis Sacramentum essentialiter pertinet. Hæc omnia Sacramenta fuerunt a Christo immediatè instituta; ac singula Rebus perficiuntur, tanquam Materiâ; Verbis tanquam Formâ; quas immutare, non est penes Ecclesiæ potestatem, cùm omnium novæ legis Sacramentorum Materiam, & Formam, Christus Dominus non solùm in genere, sed etiam in specie determinaverit.

III.

Verba, quę Sacramentorum formam constituunt, nec promissoria sunt, nec concionatoria, sed veré consecratoria. Nefas est autem, in Sacramentis conficiendis, uti materiâ dubiâ, vel duntaxat probabili. Quod si in materia, vel forma, essentialis mutatio contigerit, irritum, & prorsus nullum efficitur Sacramentum; Secus si ejusmodi mutatio fuerit accidentalis. Licitum quandoque est, in Sacramentorum administratione uti formâ conditionali, cujus tamen usus, ante VIII. Christiani nominis sæculum, minimè obtinuit.

IV.

Omnium Sacramentorum ordinarius Minister, est solus Homo viator: At extraordinariâ potestate, Sacramenta possunt validè administrare, & conficere, etiam Angeli, & Beati in Cœlo regnantes. Ut valida sint Sacramenta, requiritur in Ministro intentio saltem virtualis faciendi quod

facit Ecclesia. Ideoque irrita sunt, & nulla, Sacramenta irrisoriè, & mimicè collata: Nec eam putamus intentionem sufficere, quâ Minister intendat duntaxat ritum externum seriò peragere, geratque interim in animo, non faciendi rem Sacram, latentem deliberationem. Denique, valet quodlibet Sacramentum, ab impio quoque Hæretico, sceleſtissimoque Homine collatum, dummodo nihil eorum desit, quæ ad illius constitutionem sunt necessaria, scilicet Materia, Forma, & Intentio.

V.

Ea, quæ inter Stephanum Romanum Pontificem, & inclytum Martyrem Cyprianum, agitata est acerrima controversia, de validitate Baptismatis collati ab Hæreticis, nullam inter ipsos scissuram induxit; sed vicit pax Christi in cordibus eorum. Etenim, ita Stephanus Cypriano, aliisque novitatem inducentibus restitit, ut intra minas excommunicationis tantùm hæserit; Cyprianus verò, ita baptizatos ab Hæreticis, rebaptizandos esse censuit, ut tamen ab iis, qui eosdem non baptizabant, abstinendum esse non judicaverit. Ex quo conjicere pronum est, Cyprianum, in eâ fuisse opinione defixum, ut hanc putaret quęstionem, ad meram Ecclesiæ Disciplinam pertinere, quamvis oppositum sentiret Stephanus. Fuit autem in plenario Concilio ejusmodi controversia penitus eliquata; quod equidem Concilium, minimè fuisse putamus, vel Alexandrinum, aut Capuanum, vel Nicænum I., aut Constantinopolitanum I.; sed Arelatense I., annô 314. celebratum.

VI.

Pro solis Hominibus viatoribus, juxta præsentem rerum ordinem, Sacramenta omnia sunt instituta. Ut verò Adulti Sacramenta percipiant, requiritur in ipsis, ultra alias dispositiones, saltem intentio interpretativa, in iis præcipuè Sacramentis

tis, quæ imprimunt characterem. Effectus autem præcipuus Sacramentorum, est gratia sanctificans, quæ ab omnibus novæ legis Sacramentis, moraliter, & ex opere operato producitur. Alter Sacramentorum effectus, est character in præsenti, & in futuro sæculo indelebilis, quem imprimunt tria Sacramenta, quæ iterari non possunt, nimirum, Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Infunditur etiam per Sacramenta, alia peculiaris gratia, quæ Sacramentalis nuncupatur in jure quodam ad certa quædam recipienda auxilia consistens. Tandem, ad convenientem, & debitam Sacramentorum administrationem, servandæ sunt piæ cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ, quæ sacras, ac mysticas significationes complectuntur; nihilque redolent superstitionis, & vanitatis, ut impiè criminantur Hæretici.

De Baptismo.

I.

SAcramentum Baptismi, quod inter novæ Legis Sacramenta commendari haud satis potest, cum prima sit post naufragium tabula, & janua cæterorum, a Cathechismo Concilii Tridentini part.2. num.5. rectissimè definitur: *Sacramentum regenerationis per acquam in verbo*, idest *cum expressa invocatione SS. Trinitatis*.

II.

Sacramentum hoc ante Passionem suam Christus instituit: verum quo nam præciso tempore incertum est. Id unum certò adfirmari posse videtur, illud non fuisse institutum an-

antequam Christus in Jordane baptizaretur a Joanne. Neque verò cum hoc Sacramento comparari potest Baptismus ipsius Joannis, quem a Baptismo Christi secernere multi perperam recusarunt.

III.

Materia remota hujus Sacramenti est sola acqua naturalis, seu elementaris: neque ullus potest casus accidere, in quo ea possit immutari. Materia proxima est externa corporis ablutio per acquam facta, & licet ablutio hæc primis Ecclesiæ seculis per trinam immersionem fieri consueverit, nemo tamen sit, qui arbitretur, trinam immersionem ad substantiam Baptismi pertinere, cum multis jam ab hinc seculis sola infusione baptizet Ecclesia Latina.

IV.

Perfecta, & absoluta forma hujus Sacramenti verbis his continetur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ac prorsus irritum esset Sacramentum tribus divinis Personis non explicitè nominatis. Hinc non valere, nec unquam valuisse arbitramur Baptisma in solius Christi nomine collatum.

V.

Lex Baptismi utpote positiva obligare non ante cœpit, quàm promulgatum solemniter fuerit Evangelium. Post sufficientem verò ejusdem promulgationem Baptismus non adultis modo, verùm etiam parvulis necessarius est necessitate medii.

Ba-

Baptiſmus tamen acquæ, ſeu fluminis ſuppleri martyrio poteſt, quod vocant Baptiſmum ſanguinis: immo in adultis etiam baptiſmo flaminis, charitate ſcilicet cum voto Sacramenti.

VI.

Valet Baptiſmus ab Hæreticis ritè collatus: immo homo quilibet viator eſt hujus Sacramenti Miniſter, ut inquiunt, *a neceſſitate*. Illius tamen ordinarii Miniſtri ſunt ſoli Epiſcopi, & Presbyteri. Valet etiam Baptiſmus parvulis ante uſum rationis adminiſtratus: quinimmo expedit illos tunc temporis baptizari. Non licet tamen præterquam in manifeſto vitæ diſcrimine filios infidelium invitis eorum parentibus ſacro fonte lavare.

VII.

Varii ſunt effectus Baptiſmi, per quem filii Dei efficimur, membra Chriſti, hæredes Dei, cohæredes autem ipſius Chriſti, ac indelebilis præterea Animæ character imprimitur, ratione cujus baptiſmus ſemel ritè ſuſceptus iterari nequit. Principem inter hos tamen locum tenet gratia ſanctificans, peccata omnia ante baptiſmum admiſſa verè, ac propriè delens. Quod ſi in hæreſi, vel ſchiſmate, aut etiam in Eccleſia ipſa Catholica baptiſmus fictè ſuſcipiatur, præcedentia peccata non ſtatim, ſed recedente fictione remittuntur.

De Pœnitentia.

I.

PŒnitentia (quæ variis nominibus a Conciliis, & a Græcis, Latinisque Patribus, signanter verò = *secunda post naufragium tabula* = rectissimè appellata est) virtus est moralis a Deo infusa, inclinans peccatorem, ad proprii peccati detestationem, cum efficaci emendationis, & satisfactionis proposito. Unde Pœnitentiæ virtus, nec simplex est resipiscentia, nec nudam a peccato cessationem, aut purum novæ vitæ desiderium importat, sed etiam dolorem de admissâ in Deum noxâ, & peccatô. Fuit autem ejusmodi virtus, ad impetrandam culparum veniam, quocumque tempore peccatoribus necessaria, necessitate tum medii, tum præcepti, quod sanè præceptum, post admissam culpam statim peccatorem non obligat, sed sæpius duntaxat in anno, & in certis quibusdam occasionibus, potissimùm verò in mortis articulo.

II.

Est autem Pœnitentia, verum ac proprie dictum Novæ Legis Sacramentum, post baptismum lapsis ad salutem omnino necessarium, atque ab ipso Baptismate planè diversum; quod a Christo Domino immediate institutum est, cùm a mortuis resurgens, insuflavit in Discipulos suos dicens = *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* = Porro, tanta est hujus Sacramenti virtus, & efficacia, ut non solùm Sacramentali absolutione, coram Deo declarentur peccata esse remissa, sed verè ac penitus remittantur, quin ullum detur peccatum, & crimen, utut enorme, ac longè gravissimum, quod nequeat per pœnitentiam expiari, ac judiciariâ Sacerdotum potestate ab Ecclesia remitti.

Non

III.

Non Originalis culpa, ſed peccata actualia, tam mortalia, quam venialia post Baptiſmum admiſſa, ſunt Materia remota Sacramenti Pœnitentię; illa quidem neceſſaria, hæc autem ſufficiens, & libera. At eſſentiales partes, quibus hoc Sacramentum, immediatè, & tanquam ex Materia proxima conſtituitur, non ſunt aut manus impoſitio, aut Sacramentalis abſolutio, ut Theologorum aliquibus viſum eſt; nec terrores conſcientiis incuſſi, agnitô peccatô; nec Fides per Evangelium excitata, ut contendit Lutherus; nec vivificatio, & mortificatio, ut docet Calvinus; ſed tres Pœnitentis actus, nimirum, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

IV.

Ad Contritionem quod adtinet, hęc, vera, interna, & ſupernaturalis eſſe debet, atque ad omnia patrata ſcelera ſe extendere, necnon peccati odium, melioriſque vitę propoſitum involvere. Ea verò ſententia, quę, amoris initialis neceſſitatem, ad gratiam in Sacramento pœnitentię obtinendam, propugnat, pia eſt, ac ſummopere commendabilis, utpote quę, nullâ a Tridentino Concilio cenſurâ notata eſt; imo Hęreticorum doctrinę ex diametro opponitur, Sacrarum Scripturarum authoritati, & Patrum traditioni innititur, ac demum validiſſimis Theologicis argumentationibus roboratur. Nec enim Tridentina Synodus unquam definivit, attritionem ab amore initiali ſejunctam, ad gratiam in Sacramento pœnitentię conſequendam ſufficienter diſponere.

V.

Sacrarum litterarum authoritate, Majorum traditione, atque ex vetuſtiſſimo Eccleſię uſu, Divinum Sacramentalis Confeſſionis pręceptum invictè demonſtratur. Quod ſanè non evertitur ex celebri Neſtorii facto, ſed magis ma-

gisque fulcitur. Itaque, ad salutem consequendam, non perutilis tantùm, verùm etiam prorsus necessaria est Sacramentalis Confessio. Porro in hâc, omnia enumeranda sunt lęthalia crimina, quorum occurrit memoria, uni, eidemque Sacerdoti; cui mortalium culparum, nedum species, & numerus debet exactè aperiri, sed etiam circumstantiæ speciem mutantes, & intra eamdem speciem notabiliter aggravantes. Secretò perficienda est ejusmodi Confessio; quod si quandoquidem priscis sęculis, ob contritionis vehementiam, publicè enuntiarunt aliqui peccata sua; nullâ tamen, aut Divinâ, aut Ecclesiasticâ lege adigebantur Pœnitentes ad palam aperienda, quę occultè patraverant. Ea verò Confessio, quę legitur quandoque facta per litteras, Sacramentalis haudquaquam fuit: Hinc Clemens VIII. dum Decretô suô anni 1602. illicitam, & invalidam declaravit, tum Confessionem per litteras, tum absolutionem absentibus datam, firmissimè retinuit quod fuit a Majoribus traditum.

VI.

Episcopi duntaxat, ac Presbyteri, Sacramentum Pœnitentię possunt administrare; ideoque Exomologesis per Diaconum data, aut confessio, quam nonnulli in exitu vitę Laicis fecerunt, non fuit Sacramentalis. Ut tamen Sacerdos validè absolvat, exceptô mortis articulô, utrâque prędītus esse debet Ordinis, & Jurisdictionis potestate. Tenetur etiam Pœnitentię Administer, naturali, divinô, & Ecclesiasticô jure, ad arctissimum Confessionis sigillum; ad quod spectant omnia, & singula peccata, cum suis circumstantiis in confessione patefacta. Cæterum, utut perspicuè non evincatur, viguisse olim, sive apud Latinos, sive apud Græcos, formam Sacramentalis absolutionis *deprecativam*; magis congrua, & idonea forma illa est, quæ in Latina Ecclesia usurpatur, cujus tantùm ea sunt essentialia verba = *absolvo te* = Absolutionis be-

beneficium, nemini reconciliationem petenti denegandum est in mortis articulo: Quod etiam de illis adfirmamus, qui, posteaquam pœnitentiæ signa dederunt, destituuntur exteriori sensu, ac loquendi facultate: Quinimo absolutionem, saltem *conditionatè*, etiam illi impendendam esse contendimus, qui, nullô præmissô pœnitentiæ signô, circumvenitur mortis angustiis, agitque animam; dummodo aliunde Vir catholicus, ac probatæ vitæ habeatur.

VII.

Infirmis in ultimo vitæ discrimine constitutis, Pœnitentiam, & Sacramentalem absolutionem petentibus, prioribus sæculis veniam non denegavit Ecclesia: Ideoque rectè se gessit Cyprianus, absolutionem lapsis omnibus, post actam pœnitentiam, indulgens. Porro, cùm, dimissâ culpâ, plerumque luendæ remaneant pœnæ temporales, potest, ac debet Sacerdos, Confessis pœnas satisfactorias injungere, quibus illatæ Deo injuriæ debitè compensentur: Ipse verò Pœnitens, per se ipsum tenetur impositam satisfactionem adimplere. Et quamvis probabilius sit, eô tempore, quô in usu fuit pœnitentia publica, Sacramentalem a peccatis absolutionem, expletâ duntaxat satisfactione, fuisse concessam; ad substantialem tamen Sacramenti integritatem, perinde est, si absolutionem satisfactio antecedat, vel subsequatur. Denique, non omnia peccata publicæ fuere pœnitentiæ addicta, sed publica duntaxat, eaque canonica, nempe, Idololatria, Homicidium, & Adulterium; quibus addita sunt, temporum decursu, nonnulla alia longè gravissima.

De Ordine.

I.

EXtat in Ecclesia Ordo, & Hierarchia, sive distincta ordinatio Graduum, & Ministeriorum Ecclesiasticorum, secundùm quos, Divinô jure, Clerici, Laicis superiores sunt, eisque res Sacras administrare possunt, & debent. Ejusmodi verò Sacra Ordinatio, quâ initiantur Ecclesiæ Ministri, verum est ac propriè dictum, Legis Evangelicæ Sacramentum, a Christo Domino immediatè institutum; cujus essentialis Materia, est manuum impositio; Forma verò, oratio; etsi instrumenta pariter, & verba adnexa, omnino adhibenda sint in Ordinum collatione, saltem, ut integrales Sacræ Ordinationis partes. Septem sunt in Ecclesia Latina ecclesiastici Ordines; quos inter, Presbyteratus, & Diaconatus, veram sibi Sacramenti rationem vindicant. Num verò Subdiaconatus, cum reliquis quatuor minoribus Ordinibus, inter verà novæ Legis Sacramenta, sit accensendus? ambigunt plerique; in quorum sententiam & nos profectò descendimus: At, si de Clericali Tonsura sermo instituatur, hanc omnino e Sacramentorum numero expungimus.

II.

Excellentior Presbyteratus pars, est ipse Episcopatus, qui naturâ, & charactere, a Presbyteratu distinguitur, & verus est Ordo, verumque Legis Evangelicæ Sacramentum. Sunt itaque Episcopi, jure, ac institutione Divinâ, tum potestate Ordinis, tum Jurisdictionis, Presbyteris superiores. Ad hos autem ordinandos, plures Comministros Episcopos adhibendos esse, docet Apostolica traditio, ac constans Ecclesiæ praxis. Hinc aliter quâm a tribus, vel saltem duobus Epis-

Episcopis eorum facta ordinatio, non illicita tantùm censenda est, sed irrita prorsus, & invalida: Nec quidquam sanè in contrarium ostendunt a Chorepiscopis perfectæ Ordinationes; Nam, etsi Chorepiscoporum quamplurimi simplices duntaxat fuerint Presbyteri, eorum tamen aliqui, verè fuerunt Episcopali dignitate insigniti.

III.

Sacrarum Ordinationum Ministri ordinarii sunt soli Episcopi; accedente veró Ecclesiæ, vel Summi Pontificis dispensatione, etiam simplex Sacerdos conferre potest Tonsuram, aliosque Minores Ordines. Validæ etiam sunt Sacræ ordinationes factæ ab Episcopis, quacumque hæresi, aut quovis crimine pollutis, necnon excommunicatione, aut aliâ censurâ innodatis, dummodò cum necessaria intentione Materiam adhibeant, Formamque legitimam; ipsique fuerint Episcopali consecratione præditi. Cùm itaque in Parkeri ordinatione, legitima apud Anglos Episcoporum successio defecerit, eorum Ordinationes ad formam Ritualis Eduardi IV. peractas, ut umbratiles, irritas, & prorsus invalidas rejicimus.

IV.

Solus Homo viator, masculus, & baptizatus, licitè potest & validè Sacras Ordinationes suscipere. Ipsique etiam Infantes, Amentes, aliique rationis usu destituti, ordinari validè possunt; non tamen inviti penitus; & reluctantes. At Divinô jure, a Sacris Ordinibus arcendæ sunt Fœminæ; haudquaquam obstantibus, quæ in antiquis Ecclesiæ monumentis occurrunt, Presbyterarum, Diaconissarum, & Subdiaconissarum, speciosis nominibus. Ipsi quoque Hæretici, illicitè quidem, sed tamen validè ordinantur. Tandem, Ordinationis Ministri sedulò adtendere debent Ordinandorum ætatem, conditionem, scientiam, pietatem, tempus, locum, interstitia, & conferendorum Ordinum seriem: Ipsi verò Ordinandi, a malo

lo

lo alio, quàm a proprio Episcopo, licitè possunt Ecclesiasticos Ordines suscipere.

VI.

Sacras Ordinationes suscipientibus, & gratia sanctificans confertur, & in illis peculiaris imprimitur character, cujus ratione, Ordines iterari non possunt. Adstringuntur pariter Clerici Sacris Ordinibus insigniti, quibusdam obligationibus; signanter verò in Majoribus constituti, Divinum Officium, Horasque Canonicas tenentur persolvere; quæ sanè divinarum precum institutio, nedùm in Ecclesia est antiquissima, sed Clericalis conditionis excellentiæ, & sanctitati perquam accommodata. Adnexa est pariter Sacris, Majoribusque Ordinibus Lex Cælibatûs, seu perpetuę continentiæ, quàm Ecclesiasticô duntaxat jure, Clericis fuisse impositam, luculenter ostendit diversa prorsus, & varia Græcę Ecclesię disciplina, ab ea, quę viguit in Ecclesia Latina. Utut res se habeat, laterem profectò lavant, & Sysiphi saxum movent Heterodoxi, qui confertô agmine, ad hanc penitus eliminandam, nervos omnes, & vires exerunt, ut Ecclesiæ inutilem, Clericis exitiosam, statuique Sacerdotali minimè consentaneam.

De Matrimonio.

I.

CUm Matrimonium, in officium Naturę institutum, fuerit a Christo Domino ad Novæ Legis Sacramenti dignitatem evectum, ex se bonum est, honestum, ac licitum, secùs ac commenti fuerint veteres Hęretici. Hujus autem Sacramenti essentia, prout est Naturę officium, consistit in perpetuo illo vinculo, quod ex pactione externa, internaque con-

consensu resultat Virum inter ac Mulierem: Ideoque inter Beatissimam Virginem, & Sanctum Joseph, verum intercessisse Matrimonium, veritas est omnibus notissima. Polygamiam successivam, iteratas nimirum a morte prioris Conjugis Nuptias, damnarunt olim Novatiani, & Montanistæ; at ejusmodi Connubia, nusquam pro noxiis, ac per se illicitis, habita sunt ab Ecclesia. Quare sola polygamia simultanea, contraria est Naturę, atque Evangelicę Legi; etsi cum antiquis Patriarchis, Deo dispensante, plures licitè potuerint insimul Uxores ducere.

II.

Non solvebatur olim per libellum Repudii, Matrimonii vinculum, quod prorsus est indissolubile, nec fas erat Judæis, cum alia Uxore contrahere; sed hoc eis Moyses indulserat propter cordis duritiam, ne exosas Mulieres intestinô odiô persequerentur, vel morte afficerent. In Lege Evangelica, ob solam Fornicationis, vel Adulterii causam, nequit Matrimonii vinculum dissolvi. Solvitur tamen per Religiosam professionem, dummodo, ratum duntaxat sit Matrimonium, non consummatum. Matrimonia clandestina semper detestata est Ecclesia, etsi valida fuerint, & rata, quamdiu ea toleravit: At post Tridentinum Concilium, non solùm hujusmodi Conjugia noxia sunt, & illicita, verùm etiam irrita prorsus ac nulla.

III.

Etsi plausibilis quammaximè sit eorum opinio, qui Sacramenti Matrimonii Ministrum, Sacerdotem esse contendunt; Nos verò, communiori Theologorum sententię subscribimus, atque ipsos Contrahentes, Matrimonii Ministros statuimus. Communiter loquendo, graviter peccant Filii, Matrimonia, reluctantibus invitisque Parentibus, contrahendo; non per hoc tamen, eorumdem Parentum consensus requiri-

ritur, ut contractus Matrimonialis validus sit ac legitimus. Caussas omnes Matrimoniales cognoscere, impedimenta statuere, dispensationes impertiri, non ad sæculares Reges, & Principes, ut somniant Hæretici Novatores, sed ad Ecclesiasticos Judices pertinet: Nec enim Matrimonium, ut delirant Hetherodoxi, contractus est purè humanus, politicus, ac civilis; sed Sacer, Ecclesiasticus, & Canonicus; super cujus validitatem, illi soli judicium proferre possunt, qui sunt Christi Ministri, & Dispensatores Ministeriorum Dei, cui soli Honor, Virtus, & Gloria.

PARERGON.

NEc fides, neque ipsius fidei initium obtineri potest sine speciali Divinæ Gratiæ auxilio, quid quid in contrarium Pelagiani, & Semipelagiani deblaterent.

Homines adulti, quacumque gratia sanctificante præditi, si speciale Divinæ Gratiæ fulcimen non adsit, usque ad vitæ terminum in bono perseverare nequaquam possunt.